

Fa. 244.

Q.



629

3a

Q. B. V.
DE

MONTIUM IN-
CENDIIS

DISPUTATIO SECUNDA

eaque

Physica prior

Causas & effectus illorum exhibens

quam

Benevolo Facultatis Philosophicæ

indultu

PRIOREM PRO LOCO

in eadem obtinendô

Publico examini submittit

Ad diem 29. Aug.

Annô Æ. C. clô lcc LXIII.

M. THOMAS ITTIGIUS

Lips. Alumn. Elect.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Typis JOHANNIS WITTIGAU,

46.

THOMAS ITTIGIUS



Viris Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Excellentissimis & Prudentissimis,

DNO. PAULO VVAGNE-
RO, JCTO Celeberrimo, Su-
premae Curiae Provincialis ut &
Juridicae Facultatis & Scabinatus
Lips. Assessori Meritissimo, Rei-
publ. patriae recens creato Consu-
li Gravissimo.

DNO. JOHANNI STRAU-
CHIO, JCTO Famigeratissi-
mo, antehac cum in Lipsiensi tum
Salanâ Academiae Professore Ce-
leberrimo, nunc verò Brunsvi-
censium Syndico Gravissimo,

*Dnis, Patronis, Susceptoris, Promotoribus a viternum
venerandis,*

Non quod beneficia, quibus ab UTROQUE obrutum me
scio demereri quodammodo posse sperem

sed ne

UTRIQUE

qualecunque debita gratitudinis & pietatis erigam monimen-
tum, meque ipsum studiaque mea qua par est sub-
missione commendem

TIBI QUOQUE WAGNERE

de Consulari Munere

ad quod communi omnium suffragio

Virtutum Tuarum Meritis evectus es
publicè gratuler

Philosophicas has schedas

humillimè confecto dedicoq,

MAGNIS VESTRIS NOMINIBUS

æternùm addictus

M. THOMAS ITTIGIUS.

Aetnei Venatores audiebant, quorum conatus & quicquid in sectandis feris collocabant industria, fortune novercantis iniquitas eludebat. 1) Nam quid in Aetnâ sperare praeda potuisset etiam felicissimus ferarum persecutor, cujus colles tantâ florum copiâ legimus vestitos ut aeterna odorum effluvia etiam Scoticorum canum sagacitatem 2) confudissent. 3) Ominari malè non volo: Tamen horribilem Vulcani belluam 4) persequenti & ex imis Aetnae latebris in apricum protrahere meditantis nescio quae mentis metus inter & fiducia conflictum fluctuantis trepidatio consurgit. Nam si cogitem, quòd in arcanis naturae mysteriis, quotquot oculorum aciem vel implent vel effugiunt, humanus animus in hoc terreni corporis ergastulum coniectus ad eò caliget, ut religiosus videatur illorum nescire & venerari majestatem quam curiosè perquirere nec assequi, non potest mihi non suboriri metus, Aetnaeus ne Venator prodeam, & circa tantarum montium flammâs inutili saltem vagabunde curiositatis licentiâ lasciviam, non secus ac papilionibus & alia quaedam minuta animalcula lucernae lumen circumvolitant: Nihilominus ex aliâ parte urget & instigulat me nescio quae nostris animis innata sciendi cupiditas, cujus vi tenebras, in quibus miseri volutamur, evadere gestimus, & ignorantiae carceres magis quam Dada-lus Minoas turres effugere periclitamur. Quod ardentissimum noscendi desiderium Divinitatis igniculis debemus, quibus animus noster corporis licet consortiò depressus tamen ad operum Divinorum contemplationem non elevatur modò sed & inflammatur. Quae contemplatio juxta Trismegistum 5) vehementes parit admirationis excessus: Hec verò admiratio, quae juxta Philosophum 6) philosophandi initium est, ingens post se rerum quas admiramur cognoscendarum desiderium trahit. Quod quum ad meditando omnes ingenii nervos provocet, & in omnia distrahatur, meditatio verò sit clavis veritatis juxta Ptolomeum 7) quid mirum, si spontaneum illud animi tormentum non rarò nos in multarum rerum cognitionem perducatur? Quod si non expleatur ad votum semper illa cupiditas, tamen interea mentes nostras gratissimâ quadam voluptate pascit, à qua multos nec Attalicis conditionibus dimoveas. Et haec maxime sunt, quae speculationes nostras in profundissima montium gurgustia deduxerunt, ad eruendas genuinas tot rogorum causas, quos per

1) L. Cael. Rhodig. l. XIV. Ant. Lect. c. 20

2) Jonst. Thaum. nat. de admir. quadr. cap. II

3) Arist. in admir. Plut. quæst. nat. Di-od. Sic. l. VI. R. A. c. 2. Card. de var. rer. l. I. c. 4.

4) Pind. Pyth. od. I.

5) Pymand. Merc. Trismegist. f. 2. c. 4.

6) Arist. II. Metaph.

7) Ptolom. Almagest.

omnes terrarum tractus Sapiens Univerſi Conditor diſſeminavit, & quid
ulterius horribile iter ſubterfugimus? Age Aeterna Lucis auxilio, ſi-
ne qua etiam in ipſis Vulcaniſ officinis miſeri caligamus, Arcanas terre
cryptas & abſtruſiſſima naturæ reconditoria ſubeamus inveſtigaturi,
quid reſponderi debeat interroganti Claudiano:

8) Claud. de
Rapt. Prof. l. l.

8) Quæ ſcopulos tormenta rotant? quæ tanta cavernas
Vis glomerat? quo fonte ruit Vulcaniſ amnis?

MEMBRUM PRIUS.

in quo

OPINIONES VARIORUM AUTORUM

enarrantur & examinantur.

CAPUT I.

Opinio Poetarum.

§. 1.

NEc acquieſcere verò poſſumus in ſubtiliſſimis veritatis in-
volucris, ſub quibus ut cætera ſic hoc naturæ negotium fa-
bularum recondiderunt artifices. Qui quoties ferme ad igni-
voma loca deveniunt, ſemultos fulmine Gigantes dum ſuper-
jectos à Jove ſcopulos remoliri lucentur, flammaram globos
eluctare fabulantur.

1) Heſiod. in
Theogen.
2) Hom. in
hymn.

§. 2. Imprimis verò celebris eſt Typhocus ſive Typhon
quem alii cum Heſiodo 1) terræ Tartarique filium faciunt, alii
cum Homero 2) ex terrâ ſine Patre natum fingunt, quum Juno
vehementer illam percuffiſſet, poſtquam à Diis Deabusque o-
mnibus importunis ſuis precibus extorſerat, ut & ſibi ſine ma-
ris congreſſu parere liceret, non ſecus ac Jupiter Palladem ex
nudò cerebrò pepererit.

§. 3. Ex terrâ igitur prodiens Gigas, quum nutritus à
Dracœnâ uſque ad miraculum adoleviſſet, unâ cum ſtaturâ &
robore ſic ejus ferocia ſuccevit, ut & cœlitibus inferre bellum
non dubitaret. In quo conflictu cæteris cœlicolis in fugam
converſis Jupiter in Typhoniſ poteſtatem venit, qui illum in Ci-
liciam humeris ſublatus transportavit, ibique concifiſ ma-
nium pedumque nervis tamdiu tenuit captivum, donec Mer-
curio

curio nervos Typhoni suffurante pristinas ille vires recuperans cum bellua denuo confligit, & primum quidem fulmine vulneravit, & deinde ruentem & fugientem Aetnaei montis mole suppressit.

§. 4. Ab hoc igitur immani monstrum Aetnae incendia proficisci fabularum Magistri ferme communiter tradiderunt.

Unde Ovidius: 3)

*Vidimus Aetnae a caelum splendescere flamma,
Suppositus monti quam vomit ore Gigas.*

3) Ovid. l. II. de Pontic leg. X.

Quod autem Typhonem subintelligat, patet ex alio loco: 4)

*Alta jacet vasti super ora Typhoeos Aetna
Cujus anhelatis ignibus ardet humus.*

4) Id. Fast. 4.

Et adhuc clarior locus extat in Metamorphosi: 5)

*Vasta Giganteis injecta est in sula membris
Trinacris & magnis subiectum molibus urget
Aethereas ausum sperare Typhoea sedes.
Nititur ille quidem tentatq; resurgere saepe,
Dextra sed Ausonio manus est subiecta Peloro,
Leva Pachyne tibi, Li'lybeo crura premuntur,
Degravat Aetna caput, sub qua resupinus arenas
Ejectat, flammamq; sero vomit ore Typhoeus.*

5) Id. Met. l. V. f. 5.

Et Graecis audi Pindarum: 6)

*Τέρας μὲρ Γαυμάσιον προσιδέ
αὖ- Γαυμάτε καὶ παρόν
των ἀκῆσαι,
Ὄιον κίτνας ἐν μελαμφύλ
λοις δέδεται κορυφαῖς
καὶ πέδω. σρωμνά δὲ χαρῆς
σοῖσ' ἀπεννώτον πόλιν κελιμύρον κεντέ.*

6) Pind. Pyth. od. I.

§. 5. Alii tamen aliter fabulam enarrant, prout illam suo quisque vel metro vel placito accommodavit. Sic Valerius Flaccus 7) non a Jove sed a Neptuno superjectam Siciliam fabulatur. Sic Herodotus 8) & Apollonius 9) Typhonem a Jove fulminatam in agrum Pelusium confugisse dicunt, ibique sub Nerbonide lacu occultari. Sic Pherecydes 10) ut Apollonii Scholiastes 11) annotavit centiceps illud monstrum fulminis ictu

7) Val. Flacc. Argon. I.
8) Herod. Thal. f. hist. l. III.
9) Apoll. Arg. II.
10) Pherecyd. in Theogon.
11) Val. Roth. in II. Arg.



12) Virg. IX.
 Æn.
 13) Claud. lib.
 II. R. P.
 14.) Lucan. V.
 Pharf.
 15) Sil. It. lib.
 VIII.
 16) Coint.
 Smyrn. Troj.
 expugn. seu
 supplem.
 Hom. lib. IV:
 & XIV.
 17) citat illum
 locum Dausqv,
 in lib. XIV. Z.
 Calabr.
 18) Virg: III.
 Æn.
 19) Lucan. VI.
 Pharf. (Theb.
 20) Stat. III.
 21) Claud. de
 Rap. Prof. lib.
 I, II, & III &
 in Panegy. in
 III. Conf. Ho-
 norii.
 22) Sil. lib. XII.
 23) lib. III. de
 R. P.
 24) Vid. Philo-
 frat. de vit.
 Apoll. lib. V.
 25) Virg. IX.
 Æn. (IIX.
 26) Sil. It. lib.
 27) Lucan. I.
 Pharf.
 28) Horat. I.
 Carm. od. 4.
 29) Cic. de Div.
 30) Lucian in
 Timon. seu
 Misanthropo.

fauciatum in Caucasum primum, deinde καλομένην τῆ ὄρεσ in Ita-
 liam confugisse, & in Pitheculas venisse narrat. Fallor? An id
 occasionem quibusdam dedit, ut non Ætnæ sed Pitheculis Ty-
 phonem supponerent. Fecit id certè Virgilius, 12) Claudianus,
 13) Lucanus, 14) Silius, 15) & alii.

§. 6. Nec minus Enceladus incendiis talibus illustris
 est. Vide Cointam Smyrnæum, 16) Apollodorum, 17) Virgilium,
 18) Lucanum, 19) Statium, 20) Claudianum, 21) & alios.

§. 7. Nec verò tantum Ætnæ, sed & aliis ignivomis locis Gi-
 gantes supponebant. Sic Silius 22) Prochytae Mimanta, Pithecu-
 lis Japetum, Sic Claudianus 23) Alcyonea Vesuvio subdit. Atq;
 hæc quidem est una Poëtarum de incendiis montium opinio.

§. 8. Altera sed minus frequens (unde miror quòd ab A-
 polloniò 24) vulgatiore vocetur) opinio est, flammæ Vulcani
 fabriles in Ætnâ cum Cyclopiibus artes exercentis fornacibus
 expirari. Innuat id non obscure Virgilius: 25)

*Quam subter specus & Cyclopium exesa caminis
 Antra Ætnæ tonant, validiq; incudibus ictus
 Audit referunt gemitum. & c.*

Et Silius: 26)

*Ætnæ eos quoq; contorquens è cauitibus ignes
 Lemnius intonuit, scopulisq; in nubilâ jactis
 Phlegreus tetigit trepidantia sidera vortex.*

Pertinet huc illud Lucani: 27)

Oraferox Sicula laxavit Mulciber Ætnæ & c.

Ut & illud Horatii: 28)

*-- -- dum graves Cyclopium
 Vulcanus ardens urit officinas.*

Sic Cicero 29.) *Non te puto esse eum, qui Jovi fulmen fabricatos Cy-
 clopas in Ætnâ putes.* Et Lucianus, 30) vel potius Jupiter apud
 Lucianum, *Memineris, inquit, Mercuri, ut rediens ex Ætnâ Cyclo-
 pas tecum adducas, qui fulmen resarciant.*

§. 9. Quod si nucleos sub his corticibus absconditos e-
 visceremus, nihil aliud forsitan sunt Poëtarum Gigantes, quàm
 Spiritus quidam ignei, quos Jovis i. e. naturæ imperium ex ter-
 râ & Erebo seu profundissimis subterrestrium ignium bara-
 thris

thris prognatos ingrato celeres obruit otio, & abditissimis terrarum ergasteriis inclusit durissimæ crustæ repagulo munitis. Qui custodiam detrectantes fugam continuo meditantur, concussisque subterraneis fornicibus majores jugiter eundo vires acquirunt, donec obicibus effractis velut agmine facto qua data porta ruunt, & Jovem seu cœlum versus ingentia frustra mittunt. Sic per Vulcanum & Cyclopes nihil aliud forsitan subintelligunt, quàm subterraneos ignes & fumos seu pingviores exhalationes ad inflammationem proclives. Quæ postquam proruperunt Jovi fulmina fabricantur, i. e. fulminibus aliisque meteoris igneis materiam subministrant.

§. 10. Quæ translationes utut sic satis videantur commoda, incertum tamen est, an attigerint mentem Poëtarum, quum non desint, qui cum Vulcani tum illam de Gigantibus fabulam longè diverso sensu sunt interpretati. Nam quod ad Gigantes & Typhonem quidem præprimis spectat, alii ad primam mundi originem, alii ad ventos in sublimi spirantes, alii ad pestiferos aëris tractus fabulam deducunt. Multis contra, quorum alii Typhonem prodigiosa magnitudinis serpentem, alii crudelissimum Ægypti, alii Ciliciæ Regem fuisse suspicantur, historica; multis, quorum alii de ambitiosa regnandi libidine, alii de rebellionibus & variâ Regum fortunâ fabulam confictam rentur, Politica magis commenti translatio arridet. Ut de Vulcanò jam nihil dicam, per quem alii Tubalcainem, cujus in sacris mentio fit, alii Ægyptium quendam virum & primum ignis inventorem subintelligunt.

§. 11. Igitur quis Poëtarum sensus fuerit, in mediò relinquo, ne videar illos imitari velle, qui similem sibi in transferendis fabulis licentiam sumunt ac Poëtæ in fingendis, & ut suis placitis antiquitatis venerationem acquirant, Poëtarum fabulas ad ea traducunt. *Vetus enim illa est & frequens vanitas, ut indignatur justissimè Baconus, 31) nec nuper nata aut raro usurpata.* Nam & Chrysippus Stoicorum opiniones vetustissimis Poëtis velut somniorum aliquis interpres ascribere solebat, & magis insulse Chymici ludos & delicias Poëtarum in corporum transformationibus ad fornacis experimenta transtulerunt.

31) Francis. Bacon. de Verulam. in proœm. tract. de sapient. Vet.

§. 11. Quid



§. II. Quid multis? Nec ipsi Poetae fabulis in hoc nego-

tiō contenti sunt, sed Philosophicas annectunt illis causas. Fecit

32) Claud: lib.
I. de R. R.
33) Barth: in il-
lum locum.

id certē Claudianus, 32) quem tamen Barthiō Judice, 33) Magnus Scaliger in illō locō rectē reprehendit. Igitur, sicut Apollonius ejusque focii, quum à Catanensibus audivissent, Typhonem sub Ætnā ligatum montique obluantem flammās anhelandō emittere verisimiliores & Philosophis convenientiores ea de re causas inquirebant: 34) Sic & ego non possum non hic meum facere illud sive Severi sive Manilii: 35)

34) Philostrat:
loc. cit.
35) in carm. de
Ætnā.

*Debita carminibus libertas ista, sed omnis
In verò mihi cura.*

CAPUT II.

Opinio Porphyrii, Pselli, Trithemii,
Helmontii, Bodini.

§. I. Num verò Porphyrio etiam & Psello Platoniciis Philosophis, quos Marsilius Ficinus interpretatus est, omnis circa hoc negotium in verò cura fuerit, incertum est, certum verò longè illos à verò discessisse. 1)

1) Vid: Porphy-
rii Lib. II. de
occasion: &
Michael: Psell:
de dzmon:

§. 2. Sextuplices autem illi Dæmonas faciēbant, igneos, aëreos, terrestres, aquaticos, subterraneos, & lucifugos. Ex quibus *subterraneos fundamenta terræ concutere, hiatus aperire, incendia suscitare, & similia naturæ effecta causari fingebant,*

§. 3. Quæ sententia licet hoc magis adverteretur veritati, quò magis Poetarū fabulis affinis est, nihilominus tamen patronos suos & asseclas invenit, & inter alios Trithemium 2) qui hanc sententiam citante Schottō 3) propugnare non dubitavit.

2) Trithem. lib.
VIII. quæst. ad
Maximil. Cæs.
3) Schott. Phys.
Curios. part. I.
lib. I. c. 12.

§. 4. Nec ab illis immanē quantum discrepat Johannes Baptista van Helmont in inauditis suis Physicæ initiis utinam inauditis, 4) adeoque torporis in indagandis effectuum causis ipse suspicionem non effugit cujus in illō locō Peripateticos accusat,

4) Joh. Bapt.
Helmont, Ort.
Med. nov.
tract. 19.

§. 5. Qui licet fateatur, *incendia montium & eruptiones venarum metallicarum suis stare naturalibus causis, quum nimirum camera montis aliquā flammis abundè testā rimarumq; plenā in voraginem decidente liquata sulfura cum marcasitis non sine ingenti cataclysmate tolerent decidens testā rupis fragmentum, quin totum flamma reuomat: Omnem tamen terræ tremorem, (cujus ipso iudice velut effectus*

quidam est montium conflagratio) contingere putat quoties aliquis Angelus illam feriat.

§. 6. Igitur Platonice illis quidem Philosophis paulò modestior est, dum non omnia sed quædam montium incendia non propinque sed remotè putat à Dæmonibus proficisci: Nihilominus tamen omnem monstrositatem non effugit ejus opinio partim ad veritatem quodammodo inclinans, partim erroribus immerfa. Quis verò risum teneat

*Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere sivelet & varias inducere plumas
Undiq; collectis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa super ne? 5)*

5) Horat. art. Poet.
6) Bod. theat. nat. lib. II.

§. 7. Ejusdem farinae est Bodinus affirmans expressè 6) *Dæmones turbare mare & aera, terrere animos nostros fulminibus, nivibus, nimbis, tempestatibus, ventis, grandinibus, terræ motionibus, fremitibus, tonitribus, imbribus cruentis, repentinis hiatibus, facibus flagrantibus, & portentorum inopinatio concursu. Quæ sententia, quum ingenia à causis naturalibus ad Dæmones ablegat, nescio an sit theatrò naturæ satis conveniens.*

§. 8. Possunt illi forsan omnes & Bodinus imprimis sententiam suam stabilire ex odore sulphureo individuo incendiolorum comite, quum compertum sit Dæmones plerunque post se relinquere odorem sulphureum. Nam ex eodem fonte Bodinus probat fulmina à Dæmonibus excitari tam ineptè, ut illum risum saltem aucupari penes Lectores putes.

§. 9. Nec magis illos juvat quod ex Gilberto Cognato 7) Zvingerus 8) anotevit, Negotiatorem quendam Siculum Catanam Messanam profectum decem fabros camentarios cum feramentis suis & paulò post iterum decem nec longò post intervallò virum supra vulgarem staturam procerum barbæ proluxæ & nigrum, (qui si claudicasset Vulcanus videri potuisset) interrogantem offendisse: num per viam operas suas vidisset ædificii cujusdam gratiâ in Ætnam à se præmissas? Quod quum Mercator affirmasset & addidisset mirari se, quid ædificii exstruere in Ætnâ mediteretur, monte sic adhuc nivibus operto, ut permeari commodè non possit, retulisse ignotum architectum, satis

7) Lib. VIII. Narrat.
8) Zving. theat. vol. V. lib. 4.

B artis



artīs sibi viriumque superesse imò multo majus perpetrare se posse si velit. Quo dicto quum evanisset, tantum quidem horrorem invasisse Mercatorem, ut vel adhuc ante vesperam è vitā emigraret, postridie verò famosum illud Ætnæis è crateribus flammaram emanasse profluvium, quod nulli pene Scriptores intactum reliquerunt.

§. 10. Nam etsi darentur infinita hujusmodi exempla, tamen inde non sequeretur, tot nobilissimos terræ montes à Dæmonibus accendi. Nam primò constat, hoc esse Dæmoni peculiare, ut, quum sine Dei permisso admodum sit impotens tamen aliquam de se potestatis opinionem penes homines excitare studeat. Igitur sordidus ille Faber, quem de numero Dæmonum fuisse dubium non est non statim autor existimandus est incendii à se prædicti quod ex causarum naturalium nexu impendere non difficulter prævidit. Deinde etiam distingvendum videtur inter incendia montium naturalia & miraculosa & mixta. In miraculosis & mixtis quæ tamen rarissimè contingunt, obtinere quandoque locum Dæmones facilè crediderim. In naturalibus longè aliæ causæ præsto sunt ulterius indagandæ. Nescio enim piè magis an desperatè philosophentur, qui Lucretii 9) verba agnoscitis paulo tamen immutata,

9) Lucret. de rer. nat. lib. VI.

*Quorum operum causas nulla ratione tueri
Possunt hoc fieri dirò Cacodæmone rentur.*

CAP. III.

Opinio Surii & aliorum quorundam Pontificiorum, ut & Pythagoræ & Palingenii.

§. 1. A Dæmonibus commodè transimus ad infernum occasione verborum Surii 1) *Verisimile est, in ignivomis locis quadam esse Tartari ostia & loca puniendis animabus destinata.* Sic Christiani tempore Titi interrogantibus: unde tanti è Vesuviò ignes? Respondebant: è Gehenna Diabolo & ejus angelis præparatâ, ut refert Cedrenus. 2)

1) Sur comment. A. 1533. citante majol. de mont.

2) Cedren. comp. ann.

§. 2. Hoc assertum partim nescio quæ experientia auxit partim superstitio & credulitas. Ad experientiam spectant, quæ in disput: 1. de Episcopo Bremensi in Heclam à Diabolò transvectò,

veatō, ut & de divagantibus ibi animarum spectris, & auditis acutissimis lamentantium querimoniis ex Olaō Magnō 3) aliisque retuli. Similia de Ætnā Bartholomæus Anglicus 4) affirmat. Unde & illam Petrus Blesensis 5) inferni portam appellat. Nec mediocriter illis fidem facit, quod Dresserus 6) & ex Sigebertō, Cranzio, Schedeliō, Gigante, Zvvingerus 7) consignavit, Hattonis nimirum Archiepiscopi Moguntini (non μωβεό- τϛ illius, sed aliū ejusdam ejus antecessoris) quum fulminis prius ictu cælitus tactus esset & corpus & animam à Diabolo in Ætnam præcipitatum cum tali ululatu:

Sic peccata lues, sicq; ruendō rues.

§. 3. Sic Majolus 8) ex Gregoriō 9) refert, Theodoricum Regem, eò quòd Romanum Pontificem Johannem in custodia occidisset, & Symmachum ferrō interemisset, in ferventissimam Vulcani ollam in obitu suo ab iisdem martyribus (non à Diabolō) projectum, inspectante Sanctō quodam virō Liparen insulam incolente. Sic Salernitanus Princeps referente Damiano 10) quum flammam Vesuviō prorumpere vidisset, morietur, dixit, sceleratus aliquis dives. Quo judiciō seipsum temerarius damnavit, quandoquidem proximā nocte dum cum meretrice securus concumberet, expiravit. Idem Damianus de Priacipe Capuanō Pandulfō & Johanne militum Neapolitana civitatis magistrō, mortuis illis è Vesuviō, unde frequenter Gehenna eructet, flammam erupisse, & addit: Quandounque in illis partibus reprobus dives moritur, velut ad ritum ignis è Vesuviō prorumpit. Sed nihil est novum Pontificiis ejusmodi comminisci.

§. 4. An igitur manes forsan seu divagantia sub locis ignivomis animarum spectra tantas flammaram excitant tempestates? Ita fane docuisse perhibetur à nonnullis Pythagoras. Nec rectè in illam sententiam Palingenius 11) inclinat:

- „ gignuntur venti telluris in alvo
- „ Ex fumis quos vicina trahit ignis abundā
- „ Hos agitant ventos, qui subterranea regna
- „ Diu manes habitant, cæcisq; morantur in antris.
- „ Non etenim nuge prorsus nec inania verba.

B 2

„ Sunt

3) Ol. Magn. lib. II, c. 3 & 4.
 4) Barthol. Angl. lib. XIV. de propr. rer.
 5) Pet. Bles. ep. 46.
 6) Dress. Isa. gog. part. 4. p. m. 59. 60.
 7) Zvving. Vol. II. lib. V.

8) Majol. l. c.
 9) Gregor. lib. IV. dial. 30.
 10) Card. Damian. l. I. ep. 9.

11) Paling. Zodiac. vit in a. quar.



Sunt quæ de Stygurebus memorantur Averni.

Facilius forsan illud credent qui ignivoma loca Tartari ostia esse putant. Ego verò neutrum crediderim.

CAPUT IV.

Opinio Babyloniorum, Chaldæorum, & Astrologorum recentium.

§. 1. Delabor nunc ad Chaldæos & Babylonios, qui sicut cæteros sic & hunc naturæ effectum totum cælestibus influentiis ascribebant. Tantùm verò abest, ut influentiæ cælestes in hoc opere utramque paginam faciant, ut potiùs aut nihil ad id aut certè parum conferant. Quòd in quo consistat fateor me nescire, dicat si quis novit.

1) Plin. hist. nat. lib. II. c. 79

§. 2. Equidem si probari posset lumen & calorem stellarum cum earum quæ sine quietè fixæ sunt, tum illarum quæ sine errore vagabundæ, in intimas etiam terræ latebras penetrare, non difficulter arguere quis posset, illas saltem in suscitandis effluviis quibus incendia montium debemus, aliquid præstare. Quamdiu verò non probaveris prius, aut aliud præter lumen & calorem excogitaveris vehiculum, quo stellarum vires in sublunaria delata corpora ibi pro virtutis influentis ratione in alterent, tam diu non affirmabo posterius.

§. 3. Non possum hîc præterire Astrologos, qui ad montium incendia certos Martis cum reliquis Planetis aspectus imprimis quadratos eliciunt in igneò præsertim signò constituti. Quasi verò ad stateram appendissent aut ulnâ emensi essent singulorum Planetarum in singulis Zodiaci locis vires, ut illas calculis mandent, & juxta illas fata rerum texant, quum tamen

Prudens futuri temporis exitum

Caliginosâ nocte premat Deus. 2)

2) Horat. lib. III. Carm. ed. 39.

Quo verò discerniculò cognoverunt Martem non Solem non aliam stellam id præstare?

3) Hippocrat. aphor. I.

§. 4. Enim verò prætendunt placita illa post diuturnas observationes ab Astrologis ita constituta, & novis experimentis confirmata. Sed notum est quod quædam experientia admodum sit fallax & lubrica juxta Hippocratem 3) quum multa sæpe

635.
sæpe interveniant, quæ hallucinationem faciunt & paralogismū
pariunt. Igitur nescio an experientiam satis habeant faven-
tem. Nam eventa prædictionibus eorum sæpe refragari etiam
à nolentibus veritas extorquet.

§. 5. Reverti post intervalla certa certos Planetarum
cum inter se tum cum fixis positus dicunt, & rectè, dicant verò,
num etiam montium incendia suas statas habeant vices? Nul-
latenus.

§. 6. Sæpe deprehendimus illos Martis in cœlo positus,
quos nulla montium incendia subsequuntur: Et vice versâ sæ-
pe montium incendia contingunt eo tempore quo nulli Martis
aspectus observantur. Quæ ratio?

§. 7. An verò cum quibusdam vel ad illos effectus excur-
rendum, qui longo post tempore sunt subsecuti? vel ad illos Pla-
netarum positus recurrendum, qui pridem evanuerunt? Neuti-
quam. Quis enim credet siderum positus etiam tunc esse effi-
caces quum mille cœli & sublunaris mundi variationes inter-
cesserunt.

§. 8. An verò cum quibusdam dicendum, quòd terræ ad
incendia dispositio prout magis vel minus apta sit, efficiat, ut
siderum configurationes nunc magis nunc minus sint efficaces?
Nullò modò. Cur enim iidem astrorum positus nunc magis
nunc minus terram ad incendia disponunt? Aut si nihil illis est
cum illâ dispositione negotii, quid ergo conferunt?

§. 9. Quum enim sublunares incendiolorum causæ rectè
sunt dispositæ, quid tunc demum opus est astrorum concursum
elicere? Tunc enim etiam sine sideribus incendia contingent.
Et pertinent hæc verba Libavii: 4) *Aliquando sua vi mare com-
moveretur & aër, unde cælo sæpe numero tranquillò & serenò omniq₃ tuta
pollicente subeunt tempestates, & subtexuntur nubecula & venti plures ex
voraginibus maris & terrarum præter omne siderum meritum preveni-
unt, Sole etiam totoq₃ cœlo in istis turbis dissipandis omnes radios viresq₃
frustra consumente. Sic Sole flagrante ex terræ spiraculis frigora ri-
gere nos faciunt, Ex Charonteis antris Vesuviiq₃ Chimææ & Aetnæ
incendiis inficiunt aërem pestes, sæpèq₃ uicò uicò contagione & profla-
tu in longissimos immittunt tractus, Phæbò nequiquam sagittas suas in
hunc Pythonem jaculante.*

4) Libav.
Comment.
Chy: part. II.
II, de pyron. c. r

B 3

§. 10. Ita-



§. 10. Itaque si rectè conjiçio potius à siderum colore, e-
 tymologiâ, & similibus, quàm ab experienciâ illorum influxus
 metiuntur. Cur enim Mars non alius Planeta montes incen-
 dit? Nonne vel quia Mars à Poëtis fingitur urbium & prædio-
 rum incensor, vel quia rubei coloris est? Nimirum Saturnus il-
 lis frigefacit, quia subpallidus est, Mars, quia rubeus est, urit,
 Præclara verò consequentia, si calx refrigeraret, carbunculus
 ureret tangentem. Cur autem in igneò signò e. g. Leone con-
 stitutus Mars potissimum id præstat? Nimirum quia Leo ani-
 mal quoddam iratum & igneum est, quum tamen signorum
 cum rebus iis à quibus denominantur, ne minima quidem sit
 naturalis connexio, sed ex merò hominum placitò rusticorum
 comprimis & nautarum facta sit illorum agnominatio & di-
 mensio. 5) Et lepidè Excell. Mullerus 6) B.M. in Astrologos op-
 pido quadrare dicit, quod alioquin de Grammaticis usurpetur,
 nunquam illos magis esse ridiculos, quàm *ετυμολογῆντας*. Cur
 verò quadratos non alios aspectus requirunt? Scilicet quia nos
 benevolentiam significamus dum aliquid sextiliter seu valdè
 obliquè respicimus, malevolentiam, dum quadratè, rursus a-
 morem, dum triangulariter, iracundiam, dum è diametrò,
 quod in ostensione musculorum oculos moventium Anatomici
 demonstrant, ideò translato in Planetas nomine aspectuum,
 passiones quoque quas oculis manifestamus ad sidera transtu-
 lerunt. Vides quanti momenti sint fundamenta, quibus su-
 perstruunt,

5) Vid. Kepler.
 detrig. ign. c. 5.
 6) In disc. de
 Comet.

CAPUT V.

Opinio Kepleri, ut & Blef Kenii.

§. 1. Iterum aliam sententiam nobis subministrat Ke-
 pler, 1) ut corpus, inquit nostrum in cutis superficie pilos: sic terra
 plantas arboresq; profert. Et sicut in cute pediculi: sic in terrâ eruce
 cicada variaq; insecta & monstra marina nascuntur. Et sicut corpus
 nostrum lacrimas, blennam, auriumq; recrementa, & gummi & faciei
 pustulis: sic tellus electrum & bitumen, usq; vesica urinam: sic terra
 montes flumina fundunt. Et ut corpus excrementum sulphurei odo-
 ris, crepitusq; qui etiam inflammari possunt: sic terra sulphur, ignes
 subterraneos, tonitrua fulgura, &c.

§. 2. Ve-

§. 2. Verum nimirum esse animal terram Keplerus putat. Itaque flammaram eruptiones animæ terrestri ejusque facultati expultrici acceptas refert, cujus vi supervacanea ejus excrementa foras ejiciantur. Sicut nimirum in animali calor viscerum naturalis tepidos vapores & exhalationes creat illasque non tantum per os & nares aliaque manifesta spiracula sed & per infinitos insensiles emittit meatus: non aliter cum terrâ comparatum esse putat.

§. 3. Hanc animalitatem terræ prolixè & laboriosè probat. Dicit enim alveos fluminum & subterraneos meatus esse velut œsophagum & venas, per quas terra suum alimentum imbibat; in terræ superficie tot spontanea stirpium genera tot insecta generari; Nec solum nutritivam & generativam terræ facultatem, sed etiam formatricem competere planè ac fœminæ. Ipsam enim foris occurrentes species, ut naves, pisces, milites, monachos, Pontifices intus in suis visceribus exprimere, non secus ac gravida mulier conspectu rei alicujus exterrita fœtum suum signat. Rectè igitur Virgilium canentem: 2)

*Tum Pater Omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium læta descendit & c.*

2) Virg. II. Georg.

terræ sinus lætæ conjugis gremio cõparare, i. e. quid sibi fiat cū voluptate percipientes, motuque idoneo maritum adjuvantis.

§. 4. Præterea nec visu terram destitui. Radium enim animæ à centrò terræ rectà in cœlum missum & stellæ alicui recta occurrentem à radiò stellæ actuari & sic videre; Adhæc ex triplici terræ revolutione non obscurè illius animalitatem deduci; Porrò nec respirationem magno huic animali deesse; Æstus enim marini reciprocationem satis prode ingentium pulmonum follibus illam præditam. Auditum porrò & tactum inesse terræ. Nam si quis in montium cacumina enisus lapillum in profundos hiatus demiserit, audiri terræ gementis sonitum. Nec à langvoribus omninò liberum terræ corpus. Interdum enim nimiò humore abundare, interdum concoctionis vitio laborare, interdum sulfureos & pestilentes madores exhalare.

§. 5. Tandem nec rationalitatem negandam terræ. Quum enim magnâ constantiâ aërem turbari videamus, quoties Planetæ celebratis Astrologorum aspectibus configurantur, aspe-

ctus

Etus verò tantum sint entia rationis, necessariò rationem aliquam adesse oportere, quæ aerem in potestate habeat, illamque siderum aspectibus admonitam aerem turbare.

§. 6. Verum enim verò qui hæc altius examinaverit, magnam adhuc certè inter animal & terram dissimilitudinem deprehendet quam fusiùs exponit Fromondus. 3)

3) L. Fron. de anim. lib. I, art. 7

§. 7. His omnibus quorum sententias hæcenus enarravimus, nescio sitne cautior dicendus, an stupidior Blefkenius, quo igne quæve materia ardeat Hecla, ignorari prætendens, ut Jonstonius refert. 4) Quo nomine & reprehensus est ab Arngrimò Jona. 5)

4) Jonst. Thaum. nat. class. 2. c. 1.

5) Arngr. annat. Blefken. part. II. c. 5.

CAPUT VI.

Opiniones multorum aliorum.

§. 1. Propiùs accedunt ad veritatem Aristoteles, 1) Autor libri de proprietatibus elementorum vel ut alii inscribunt de causis proprietatum elementorum, 2) Apollonius, 3) Diodorus Siculus, 4) Strabo, 5) Plinius, 6) Ovidius, 7) Lucretius, 8) Justinus, 9) Autor Ætnæ, 10) Isidorus, 11) Servius, 12) Claudianus, 13) Albertus Magnus, 14) Agricola, 15) Simon Portius, 16) Conimbricenses, 17) Cardanus, 18) Fazellus, 19) Bembus, 20) Philotheus de Homodeis, 21) Marius Aretius, 22) Münsterus, 23) Galefius, 24) Bartholomæus Anglicus, 25) Pantheus, 26) Bocatius, 27) Natalis Comes, 28) Baccius, 29) Barclajus, 30) Regius, 31) Sennertus, 32) Meurerus, 33) Garzæus, 34) Langius, 35) Ludovicus Vives, 36) Majorus, 37) Pontanus, 38) Theodorus de Bry, 39) Kornmannus, 40) Rosselius, 41) Johannes de Dondis, 42) Gassendus, 43) Johannes Paulus Pernumia, 44) Milichius, 45) Fallopius, 46) Kyperus, 47) & alii.

1) Arist. II. Meteor. c. 8.

2) Autor anon. c. 3.

3) Philostr. L. c.

4) Diod. Sic. lib. VI. R. A. c. 3

5) Strab. lib. V. & VI.

6) Plin. hist. nat. lib. II. c. 93.

7) Ovid. l. XV. met.

8) Lucret. l. VI. de rer. nat.

9) Justin. l. IV. c. 1.

10) Aut. ætn. per tot. carm.

11) Isid. orig. XIII. lib. c. 8.

12) Servius in III. Æn. c. 17.

13) Claud. l. I. de R. P. c. 17.

14) Alb. m. III. Met. tract. 2. c. 17.

15) Agric. de caus. & ort. subterr. l. II. c. 20.

16) Simon Port. de incend. Puteol. cit. Riv. in Vesuv. c. 17.

17) Conimbr. de met. tract. XII. c. II.

18) Cardan. l. II. subtil. c. 17.

19) Faz. de reb. Sicul. dec. I. lib. II. c. 4.

20) Bemb. in dial. de ætn. 21) Phil. in topogr. Æt. 22) Mar. Aret. chorogr. Sicil. 23) Munst. Cosmog. lib. II. 24) Galef. de terræ motu sect. 4. c. 1. 25) Bart. Angl. l. c. 26) Panth. de font. Cald. dial. 3. 27) Bocat. de geneal. Deor. l. IV. c. 22. 28) Nat. Com. myth. l. VI. c. 22. 29) Bacc. de therm. lib. IV. c. 5. 30) Barcl. Arg. l. II. 31) Heinr. Reg. fund. Phys. c. 6. 32) Sennert. Inst. Phys. l. V. c. 3. 33) Meur. quæst. Meteor. c. 4. 34) Garz. meteo. c. 4. 35) Lang. in Cosm. & l. II. ep. Med. ep. 52. 36) Lud. Viv. in Aug. de C. D. l. XXI. c. 4. 37) Maj. coll. 16. de mont. 38) Pont. Meteor. 39) The. de Bry in disc. super Americ. 40) Kornm. templ. nat. hist. part. 1. 41) Rossel. in Pym. Merc. Tris. tom. 5. com. XI. p. m. 156. 42) Joh. de Dond. de baln. Pat. c. 4. 43) Gassend. in met. Epic. 44) Paul. Pern. Phil. nat. l. IV. c. 8. 45) Milich. in l. II. Plin. c. 106. 46) Fallop. de therm. c. 6. 47) Kyp. Inst. Phys. tom. II. lib. XI. c. 5.

§. 2. Ex

11) Isid. orig. XIII. lib. c. 8. 12) Servius in III. Æn. 13) Claud. l. I. de R. P. 14) Alb. m. III. Met. tract. 2. c. 17. 15) Agric. de caus. & ort. subterr. l. II. c. 20. 16) Simon Port. de incend. Puteol. cit. Riv. in Vesuv. c. 17. 17) Conimbr. de met. tract. XII. c. II. 18) Cardan. l. II. subtil. c. 17. 19) Faz. de reb. Sicul. dec. I. lib. II. c. 4. 20) Bemb. in dial. de ætn. 21) Phil. in topogr. Æt. 22) Mar. Aret. chorogr. Sicil. 23) Munst. Cosmog. lib. II. 24) Galef. de terræ motu sect. 4. c. 1. 25) Bart. Angl. l. c. 26) Panth. de font. Cald. dial. 3. 27) Bocat. de geneal. Deor. l. IV. c. 22. 28) Nat. Com. myth. l. VI. c. 22. 29) Bacc. de therm. lib. IV. c. 5. 30) Barcl. Arg. l. II. 31) Heinr. Reg. fund. Phys. c. 6. 32) Sennert. Inst. Phys. l. V. c. 3. 33) Meur. quæst. Meteor. c. 4. 34) Garz. meteo. c. 4. 35) Lang. in Cosm. & l. II. ep. Med. ep. 52. 36) Lud. Viv. in Aug. de C. D. l. XXI. c. 4. 37) Maj. coll. 16. de mont. 38) Pont. Meteor. 39) The. de Bry in disc. super Americ. 40) Kornm. templ. nat. hist. part. 1. 41) Rossel. in Pym. Merc. Tris. tom. 5. com. XI. p. m. 156. 42) Joh. de Dond. de baln. Pat. c. 4. 43) Gassend. in met. Epic. 44) Paul. Pern. Phil. nat. l. IV. c. 8. 45) Milich. in l. II. Plin. c. 106. 46) Fallop. de therm. c. 6. 47) Kyp. Inst. Phys. tom. II. lib. XI. c. 5.

§. 2. Ex quibus alii nimis generales, alii falsas, alii insufficientes incendiorum causas adducunt. Nimis generales qui ad naturæ Numen subinde aliter atque aliter erumpens contugiunt. Falsas, qui vel à ventorum intra venas sulphureas impulsu, vel à saxis ventorum vi collisis incendia putant oriri. Insufficientes, qui vel sulphuris tantum, vel subterraneorum canalium tantum faciunt mentionem, vel veram quidem incendiorum causam acu tangunt, dum exhalationem illam esse statuunt, efficientem tamen illius vel nullam vel falsam adducunt, vel denique durationis incendiorum, quæ scrupulosa ingenia maximè torquet, omittunt causas.

§. 3. Ex quibus tamen Philosophus noster veniam facile meretur, quia in illo locò obiter tantum incendiorum illorum mentionem facit, adeoque principalem tantummodo causam in medium producit.

§. 4. Quid ergò restat, quàm ut veras & genuinas incendiorum causas breviter & perspicuè proponamus. Talisigitur illorum videtur processus.

MEMBRUM II.

in quò

Vera sententia exponitur & stabilitur.

CAPUT VII.

Præmittuntur aliqua de interioris terræ constitutione & imprimis ejus cavernositate.

§. 1.

PRINCIPIO & ratio dicitur, & experientia comprobatur, & Magnorum Philosophorum confirmat autoritas, terraqueum hunc globum non esse totum solidum & constipatum, sed anfractuosis hinc inde syphonum mæandris excavatum, vastisque passim cavernarum cryptis interdistinctum.

§. 2. Nam quum sapientissimò consilio *Σοφός* Ille *τέτων* abstrusiores intra terræ recessus ignium aquarum spirituumque receptacula abdiderit, quorum ope natura jam inde à primis mundi

C



mundi nascentis incunabulis usque in extremam senectutem tot mixtorum corporum productiones indefessâ moliretur industriâ, quid mirum, si subterraneus Geocosmus tot viarum ambagibus discriminetur, tot abstrusis cavernarum carceribus internotetur, tot tortuosis anfractuuum ambulacris intricetur, tot meatuum fissuris hiet?

§. 3. Quid si ad experientiam provocem? Nam saepe montibus vel agris vel naturâ vel arte perfossis ingentes speluncae patuerunt. Quid? quod multis in locis, licet oculos effugiant, subditæ tamen illæ sentiuntur. Testatur sanè Plinius 1) in Gabiensi solò non procul à Româ, quæ hodie Tiburtinæ lapidicinæ sunt, ut & in agrò Reatinò, qui hodiè vocatur campus pensilis ad ingressus animantium vel onerum quæ curribus vehuntur suspensò quasi solo terram tremere. Sic Tartessus Hispaniæ civitas juxta Gades quæ & Carteja dicitur, à subterraneis cavernis illud nomen accepit, ut ex Strabone & Melâ Baccius 2) annotavit. Ut de Phlegreis campis nihil dicam, quos eadem de causâ non sine manifestò periculo calcatos narrat Megiserus 3) aliique deliciarum Italicarum Scriptores.

1) Plin. hist. nat. lib. II, c. 91.

2) Bacc. de herm. lib. I, c. 1.

3) Megis. deliciae neapol. c. 7.

§. 4. Ad experientiam spectant terræ motus, qui quum à sulfureis & bituminosis halitibus originem ducant, oportet, ut intra terram ἀπὸ τοῦ εἰδῆς quædam κοιλότητες (ut cum Plutarchò 4) loquar) reperiantur, intra quos διασπειρόμενον illud πνεῦμα (iterum Plutarchi verba sunt) & generetur & torquendò se terræ motum causetur.

4) Plutarch. III de placit. phil. c. 15.

§. 5. Quod si ne minimus quidem terræ tremor accidere potest, nisi terræ cavitates admittas, quid de terribilibus terræ motibus dicendum erit, qualis e. g. anno quartò currentis seculi non procul Limâ in Peruviâ vicinos tractus exsternavit, & si Furnerio 5) credimus tractu 300 leucarum secundum littus, 70 in continentem urbès flumina montes omnia susque deque pervertit. Quod dubiò procul non contigisset, nisi subterranei canales inter se communicassent, & ignis in Onrate monte accensus per cuniculos illos serpsisset & ex ordine succendisset.

5) Furn. hydr. lib. XV. c. 18. cit. Gals. meteor. Epic. p. 1049.

§. 6. Superfedeo referre quot urbès quot oppida, quot insulæ subterraneas cavernas cum maximò suò dispendiò fuerint

rīnt expertæ, quæ nimirum ruptis illarum, quibus superexstabant, cavernarum fornicibus in vastas voragine receptæ corruerunt, & miserabili ruinâ subsederunt. 6)

§. 7. Quid de montibus in continenti 7) de insulis in oceano natis dicam? 8) Nec enim omnia forsan fabulosa sunt, quæ de Delo Rhodoque aliisque quæ è pelagò emerferunt, insulis antiquiores narrant. Nam nec nostrum seculum simili portentò caruit. Vide quæ de Insulâ juxta Terceras ante 5. olympiadas enatâ Gassendus prodidit. 9) Quâ verò putemus hæc aliâ ratione contingere, quàm ut superstantes cavernis submarinis moles ita oblique eructentur, ut non in ipsas cavernas recidant aquis interim oppletas, sed in adjacentem solidum fundum, cui eâ ratione super exstruantur, ut etiam supra maris elatæ superficiem in insulis haberi possint.

§. 8. Vides, quomodo vel solus terræ motus terræ soliditatem destruat. Idem Strabo 10) & Diodorus 11) ex Campanorum & Siculorum ignium commerciò conjecerunt. *Verisimiliora sunt, inquit Strabo, quæ Pindarus dixit ex iis quæ cernuntur commotus, quòd omnis ille tractus, si à Cumis incipias usq; in Siciliam ignitus est, & profundas quasdam habet coeuntes in unum cavernas. Et Diodorus: nonnulli asserunt meatus esse subterraneos, ab Ætnâ in Æolias insulas, & hanc omnibus eandem spirandi ignem esse causam.*

§. 9. Nec ineleganter Peireskius 12) occasione incendii quod in Semò Æthiopum monte eodem tempore contigit, quo Vesuvius in Italiâ conflagravit, de subterraneis canalibus disseruit, quibus communicare possint non modò aquæ sed etiam ignes, atq; adeò Vesuvius cum Ætnâ, hic cum Syriâ, hæc cum Arabia felice, hæc cum regione Erythraeo vicina in quâ Semus mons, idq; seu series quædam rupium incurvatarum canales faciant, seu ipsi ignes in rimam subeuntes viam sibi aperiant & canales creent, bituminosaq; suffumigatione incrustationem obtendant, quæ super impositam aquam marinam arceat.

§. 10. Igitur sicut humanum corpus Solertissimus universitatis Effector tot nervorum venarumque tot arteriarum ductibus compegit, tot necessariis vitalium operationum officinis instruxit, tot denique pororum spiraculis ad sudoris fuliginumque nidores exterminandos perforavit: haud aliter hoc

6) Strab. lib. I.

Plin. hist. nat.

lib. II c. 84.

7) Sim. Port. de

incend. Puteol

8) Plin. lib. II.

c. 86, 87.

9) Gass. l. c p.

1051.

10) Strab. lib. V.

11) Diodor. St.

K. lib. VI. c. 3.

12) Conf. Gass.

in vit. Peiresk.

lib. V.

sublunare domicilium tot interius tortuosis fluminum venis internotatum, tot immensis cryptarum receptaculis discriminatum, nec paucis Vulcaniorum Æoliorum Neptuniorumque carcerum spiraculis & evaporariis veluti caminis interceptum humani corporis structuram tantum non in omnib. æmulatur.

13) Sen. quaest. nat. lib. III. c. 15

§. 11. Unde Seneca: 13) *Sicut in nostris corporibus & vena sunt & arteria, illa sanguinis, hæc spiritus receptacula: sic in terrâ ad corporum nostrorum exemplar alia sunt itinera, per quæ aqua, alia per quæ*

14) Bemb. l. c.

spiritus currit. Et Bembus, 14) Tellus quidem omnis, inquit, sicut & nostra corpora foraminibus canalibusque distincta est & tanquam venis internotata, sive quod omninò coire non potest, quæ specie quidem multis differat inter se, sive quod aut gignit ipsa semper aliquid aut interim & immutat, neque unum idem omnis atque semper manet, sive ut alii tradiderunt & quidem Principes in Philosophiâ, quia planè vivit ipsa, & ab eadem mundi animâ extra intraque perillustratur. Sic & Epicurus 15) terram

15) Plut. l. c.

σπρηγνῶδη τοῖς κατωτέρω μέλεσσι καθεσῶσιν dixit, & Autor Ætnæ solidè soliditatem terræ destruxit, cujus ut & cæterorum testimonia adducere nimis prolixum foret.

§. 12. Nec assertum verò nostrum destruit vel simplex illud & nullis impurarum partium quisquiliis inquinatum terræ elementum, quod à penitioribus ejus visceribus usque ad ipsam centri medietatem conglomeratum & constipatum reperiri dicunt: vel Helmontii 16) arena vivens seu fabulum bulliens, quod ad centrum usque sua continuitate aquis per lutum extendi affirmat. Quid enim, si dicamus duas illas continuas moles longissimè à terræ superficie incipere? Quid? Quod adhuc tam purum illud terræ elementum quàm vivens illud Helmontii fabulum μέγα λίαν αἴτημα est. Quid enim mundus subterraneus tunc aliud foret, quàm iners & inutile quoddam pondus?

16) Helm; l. c.

§. 13. Nec, si terrestris globus tot concavitatibus distinctus est, periculum est, ne tractus illabatur orbis. *Quas enim ruinas metuat, ut rectissimè respondet Kircherus 17) quod Potens Dei Dextera Excelsi ineffabili opificiò inviolabili soliditate firmavit. Et rectè Pontanus: 18)*

17) Kirch. itin. eo Rat. 2. seu prodr. mund. subt. dial. 3. c. 3.

18) Pont. l. c.

Nec

*Nec verò, quamvis solidò stet robore tellus
Mole suâ gravis & densò se pondere firmet,
Non vastis intus specubus patet atq; hiat altè
Immensum ductis abruptâ sede cavernis,*

§. 14. Sunt & alia, quæ contra sententiam nostram afferri possunt, e.g. cæterorum elementorum sphaeras in totum coherere: E. & terram. Deinde tales concavitates vel esse intra terram per naturam à primâ creatione, vel postea factas. Non priùs, videri enim contra naturam simplicis elementi, quod homogeneum esse debet. Non posterius, tunc enim dubium oriri, à quo & quomodo & cur illæ fiant. Sed hæc tantæ difficultatis non sunt, ut indigeant multâ refutatione. Vide si placet Johannem de Dondis. 19)

*Scire igitur licet innumeras vastasq; cavernas
Sub terris esse. 20)*

19) Johan. de Dond. de baln. Pat. c. 5.
20) Paling. l. c.

CAPUT VIII.

De causâ Efficiente Remotâ seu Ignibus Subterraneis.

§. 1. Licet verò innumera intra terram cavernarum fistularumque extendantur spatia, nusquam tamen inane, nusquam vacuum. Sic enim natura à vacuò abhorret, ut nec in imis terræ barathris illud admittat. Dicis: quid ergo immensa illa spacia replet? Id jam superius insinuatam est. Nimirum non modò Jovis, sed etiam Vulcani, Neptuni, Æoli omnia hic plena sunt, quum Summus ille Opifex innumeras illas cavernarum cryptas non modò aere, sed etiam spiritibus, aquis, flammis ditavit in universæ telluris fomentum.

§. 2. Ergo sicut exteriores terræ partes modò consperguntur imbribus, modò siccantur à Sole, modò diverberantur à ventis: Sic intestina terræ viscera hinc frigus constringit, illic flammæ torrent, istinc intercutanei spiritus pulsant.

§. 3. Non ergò cum Helmontiò 1) fingimus ludendò donamusque, sed omninò statuimus, incredibilem ignium copiã sub terræ interveniis diversari. Nec acquiescimus in Turnebò 2) omnem, inquit, calorem à cælo proficisci certum ha-

1) Helmont.

l. c.

2) Turneb. de beo, cal.

beo, ejusque perennem & fontem jugem esse Solem reliquis tamen stellis in partem conferentibus. Et alibi à terræ centrō promit se & quoquo versum diffundit frigus, ut è cœli culmine calor se deorsum mittit.

3) Arist. II, Met
c. 4.

§. 4. Multo major mihi Autoritas Philosophi 3) affirmantis expressè: Ἰπάρχει ἔντε τῆ γῆ πῦρ πολὺ καὶ πολλὴ θερμότης. Et Autor de mundō: ἐμπειρέχει δὲ καὶ πολλὰς, inquit, ἡ γῆ ἐν αὐτῇ καθ' αὐτὴν ὕδατα, ἄνω καὶ πνευμάτων καὶ πύρρος πηγὰς τῶν δὲ αἰμῶν ὑπὸ γῆν εἰσὶν ἀόρατοι, πολλὰ δὲ ἀναπνοὰς ἔχουσι καὶ ἀναφυσήσεις

4) Apulej. de
mund.

ὡσπερ Λιπάρα τε καὶ Αἴτνα. Quod sic interpretatur Apulejus. 4) non aquarum modò tellus in se fontes habet, verum Spiritu & igne etiam fecunda est. Nam quibusdam subter occulti sunt Spiritus, & flantes indidem incendia suspirant, ut Lipara ut Aetna ut Vesuvius noster solet.

5) Vitruv. Ar-
chitect. I VIII.
c. 3. & lib. II.
c. 6.

§. 5. Sic & Vitruvius 5) sub terrâ de sulphure aut alumine aut bitumine maximos ardere ignes agnovit. Hi sunt ignes, de quibus Lucretius: 6)

6) Lucret. I, II.

*Principio tellus habet in se corpora prima
Unde mare immensum volventes flumina fontes
Assiduè renouent, habet ignes unde orientur,
Nam multis succensa locis ardent loca terra,
Eximiis verò furit ignibus impetus Aetna.*

7) Man. Astr.
lib. I.

De quibus Manilius: 7)

*Sunt autem cunctis permisti partibus ignes,
Qui gravidas habitant fabricant fulmina nubes,
Et penetrant terras Aetnaq; minantur olympo
Et calidas reddunt ipsis in fontibus undas.*

8) Paling. loc.
cit.

De quibus Palingenius: 8)

*Quippe ignes in se multos magnosq; perenni
Tempore nutrit humus. Dictu mirabile, sed non
Falsa tamen refero, credet qui viderit Aetnam,
Qui scatebras calidarum unquam spectarit aquarum,
Et qui visiferis bene noverit acta Vesevi.*

9) Pontan.
meteor.

De quibus Pontanus: 9)

*„ Ingenti late circumdata pontò
„ Tellus fumi ficis incendia pascit in antris.*

Et

Et iterum :

„Vulcani fora sulfureis incensa caminis
 „Ipsa monent late multum tellure subimã
 „Debacchari ignem camposq; exurere opertos.

§. 6. Imprimis verò subterraneos ignes dari convin-
 cunt insignes ejus effectus, ut sunt insignis fossilium ubertas,
 tam dives metallorum fecunditas, (quam tamen tantum quo-
 tidie teste Plinio 10) orbe toto populentur ignes naufragia ru-
 inã bella, tantum quoque tanta tot mortalium conterat lu-
 xuria) tanti ventorum velut exercitus, æstus & salsedo maris flu-
 minum obturationes & reserationes multique alii quos recen-
 set Lydiat 11) ex quibus unicum saltem in medium produce-
 mus. Lippis igitur & tonsoribus notum est per omnes terra-
 rum tractus innumeras scaturire thermas, quarum nonnullas
 in tantum fervere Seneca 12) scribit, ut usui esse non possint, ni-
 si aut in aperto evanuerint, aut mixturã frigidã intepuerint. Id
 de Badensibus Agricola confirmat, 13) (& res per totam Germa-
 niam notissima est) quã tam fervidã emanant, ut citra omnem
 coquorum molestiam ova coquant, animalia injecta ut capo-
 nes procellos integros capita vitulina & similia statim depi-
 lent, & ocyus quovis ex sandaracã vel calce psylotrõ glabra
 reddant. Quod illi sæpe experti sunt, quibus ignis usum vel ex-
 pectare fastidium fuit, vel vetuit egestas. Idem de Volaterranis
 Cæsarpinus, 14) de Bajanis Plinius, 15) de thermis prope Amphi-
 lochiam Nieremberg 16) de Peruvianis Acoſta apud Schot-
 tum, 17) de Groenlandicis Nicolaus Zenus Venetus apud Orte-
 lium, 18) alii de aliis affirmant. Illã igitur thermã subterrane-
 os ignes manifestè produnt, quum nihil aliud dari possit, quod
 aquas in tantum calefaciat.

§. 7. Equidem Rentiphilus vel ut alii legunt Thesmophilus
 apud Autorem de propriet: elementorum 19) putat à Sole tan-
 tum calorem provenire. Sed rogo te, quomodo Sol in abstrusis
 terrã cavernis tantum calorem causetur, de quo Boethius: 20)

*Purò clarum lumine Phœbum
 Melliflucanit oris Homerus,
 Qui tamen intima viscera terre*

Non V.met. II.

10) Plin. lib. II.
 c. 93.

11) Lydiat. in
 tract. de orig.
 font.

12) Sen. M. Q.
 N. c. 24.

13) Agric. de
 ort. & ca subtr.
 lib. I. c. 14.

14) Cæsarp. de
 metall. c. 7.

15) Plin. lib. 37
 hist: nat. c. 2.

16) Nierem. I. I.
 de mir. nat. in
 Europ. c. 156.

17) Schott. An-
 at. Phys. hy.
 lib. I.

18) Ort. tab. 97.
 theatr. mund.

19) Aut. de
 propr. el. c. 2.

20) Boeth. de
 conf. Phil. lib.

V. met. II.

Non valet aut pelagi radiorum

Infirmâ perrium pere luce.

Norunt certè qui sinuosissimis terræ latebras scrutantur, & incerti lucri causâ certissima pericula subeunt metallorû fossores calorem Solarem etiam ardentissimis temporibus terram non ultra duos passus penetrare. Neque multò altiùs antra sua fodere perhibentur Troglodytæ 21) Rectè igitur Lucretius: 22)

21) Lyd. de Orig. font. c. 2.

22) Lucr. l. VI.

„ *Quippe ubi Sol nudum contrectans corpus aquarum*

„ *Non quierit calidam superâ de reddere parte:*

„ *Qui queat hic subter tam orassi corporis terram*

„ *Percoquere humorem & calido sociare vapori?*

„ *Præsertim cum vix possit per septa domorum*

„ *Insinuare suum radiis ardentibus æstum.*

Nec verò mollities & raritas terræ regeri potest, per quam non difficulter radii Solares penetrent & aquas inflamment. Nam si vel maximè concedatur, Solares radios in ima terræ latibula penetrare, hoc saltem concedas oportet subterraneis illos frigidibus fractum & enervatum iri. Quis verò credat radios Solares subterraneis frigidibus obtulos tanti caloris imò fervoris esse causam? Quid? quod apud omnes constat, uniformem fervorem in thermis tenorem pro diverso Solis accessu & recessu nec augeri nec minui, quod omninò fieri oporteret, si Solis calor aquas inalteraret.

§. 8. Nec verò ventus intra terræ viscera compulsus & aquis vehementer incumbens illas calefacit, ut Mileus existimavit. 23) Ventus enim naturâ custodiæ impatiens statim cum ipsis aquis emanabit, & illæ adeò statim refrigerent.

23) Aut. de propr. el. c. I.

24) Joh. Dond. l. c.

§. 9. Idem telum ferit Johannem de Dondis, 24) & quotquot Spiritus calidos vi Solis & stellarum generatos aquas fervere putant. Regerunt tamen illi (1) licet aliquid spirituum cum ipsis aquis effluat, perpetuò tamen illos vi Solis & stellarum generari. (2) Non opus esse, ut Spiritus cum aquis emanent. Nam si furnum solidum & conclusum imaginemur, mediante solido pariete in duas cavitates distinctum, & in una cavitate calores igneos, in alterâ aquas inclusas; aut si imaginemur aquarum spiritibus substantiarum meatus infra aquæ superficiem

ficiem existere, aut tertio meatus esse supra aquarum superficiem ad quos eleventur aquae & velut obstruant illos, ut sequi Spiritus non possint, tunc non opus esse Spiritus una cum ipsis aquis diffuere. His duobus fulcris sententiam suam stabilire conantur, quorum alterum ex superioribus imprimis §. 6 hujus capituli, alterum quia ex meris imaginationibus constat sua sponte corrui.

§. 10. Alii, ut Cardanus 25) insinuat, animalis terram calore praeditam fingebant, cujus non alia quaerenda causa sit quam caloris in animali. Terram igitur animalis instar esse putabant: quod fontem caloris habeat in corde. Quasi vero ut animal sic terra ubique esset calida. Et quid in terra respondet motui cordis? nisi cum quibusdam centalem fingere malis signem, qui se perpetua circulatione devoret. & calorem quoquo versum diffundat, quem forsitan aequae difficulter probabis ac ignem sub Lunae concavo stabulantem.

25) Card. M. subtil.

§. 11. Nec vero calor aethereus, ut Stoicorum sectae Principes existimabant 26) nec aquarum super mineras sulfureas decursus, ut Autor libri de proprietatibus elementorum l. c. cum quo faciunt Ugulinus de Monte Catino, Mengus Faventinus, & Bendingellus in suis de balneis tractatibus, nec montes calcis in ventre terrae reconditi, ut Democritus iterum referente laudato sapientius Anonymo, nec aquarum per abrupta loca jactatio, ut Bodinus 27) nec duarum vel plurium aquarum metallicarum concursus, ut Sennertus 28) nec calor ex putredine ortus, nec periculum terrae congestus ut alii: Licet enim his modis aqua nonnunquam possit utcunque calefieri, non tamen iis modis tantum fervorem acquirat, aut si acquirat, saltem non ad tantam diuturnitatem.

26) Bacc. de therm. l. I, c. 7.

27) Bodin. theat. nat. lib. II, p. m. 201.

28) Sennert. ep. scient. nat. lib. IV.

§. 12. Itaque multo rectius Empedocles thermas à subterraneis ignibus, quos terra multis locis opertos tegit, calefieri forsitan ex patrii montis incendiis conjecit. Quem sequuntur plerique recentiores, vel quia commodiori modo calidorum fontium causa explicari non potest, vel quia plerumque in iis locis, ubi erumpunt ignes, thermas scaturiunt, ut ex historiis patet. |

29) Sen. quaest. nat. l. III, c. 24.

D

§. 13. Tari



§. 13. Tria verò maximè sunt, quæ contra nostros ignes subterraneos afferri possunt. Primum est, si ignes quosdam in cavis subterraneis contingeret generari, illos tamen statim partim respirationis partim pabuli defectu suffocatum iri, quum nulla flamma diu perseveret, quam non & constans aeris libertas (cum ob immensam dilatationem, in quam halitus inflammatione diffunditur, tum ob repurgationem fumi & fuliginis, quæ nisi procul amandetur, marcescere cogit flammam, tum denique ob continentem successionem novi novi que aeris qui flammam propellat) & indeficiens nutrimenti propagatio sustentat: illa autem omnia in cavis subterraneis desiderari. Urgent hoc multi Philosophi, etiam illi qui subterraneos quidem ignes nullas verò flammam admittunt, ut Cardanus & Gassendus locis citatis. Hic verò commodè nobis inservit, quod superius astruximus, Sapientissimò nimirum consilio Deum præcavisse, ne terram fistulæ & camini ab ipsis Vulcaniis officinis ad extremam usque superficiem exporrecti destituerent, quorum ope & aer liberrimè transmittitur & fuligo repurgatur, & pabulum suppetit. Itaque Vulcania barathra innumeris meatibus instructa sunt in omnes terræ plagas partim in subterranei aeris gazophylacia, partim in extremam terræ superficiem deducta, ex quibus sufficiens fit aeris ad ignium fomenta attractus.

§. 14. Alterum dubium est quodnam sit illud promptuarium ac alterum quasi barathrum Platonium, quod tantum continuo suppeditat ignibus alimentum, quum ignis juxta Zoroastrem animal tyrannicum sit & in momentò omnia consumat. Sed huic dubio tunc satisfiet, quum de incendiolorum materia tractabimus.

30) Plin. lib. II.
c. 107.

§. 15. Tertium dubium suppeditat Plinius 30): *Quum ratio ignis fecunda sit, seq. ipse pariat & minimis crescat scintillis, quid fore putandum est in tot rogis terra? Quæ est illa natura, quæ voracitatem in totò mundò avidissimam sine damno sui pascit? Excedit profectò omnia miracula ullum fuisse diem quo non cuncta conflagrarent.* Hoc ipsum sanè etiam veteribus quibusdam occasionem dedit ut in die Pantocriticò non è cælò ut Maginus, sed è terra ignes suspi-

suspiciarentur erupturos. Sed manum de tabulâ. Ut verò occurramus & huic dubio notandum, Vulcanios carceres & canales undique ab hydrophylaciis & hydrophylacticis, ut Kircherus loquitur, lebetibus constipari, adeoque ignes individuum cum aquâ inexplicabili naturæ solertiâ nactos esse, consortium quò fit ut unum alterius impetum frangat & obtundat. Qui plura cupit de ignibus subterraneis adeat Baccium, Lydiatum, Agricola, & alios.

Ignibus usq; adò natura est omnis abundans.

31) Manil. l. 4. astr.

CAP. IX.

De effluviis calidis & siccis quæ sunt Causa Efficiens Proxima.

§. 1. Quemadmodum verò Sol in exteriori terræ superficie, sic ignis subterraneus in abstrusis terræ adytis, non modò aquam verum etiam alia corpora calore suo agitat & resolvit, & ex illis innumera elicit effluvia, seu minutissima corpuscula quæ dum subinde agitantur, & accumulatiores facta variè commiscuntur, sensim magis magisque calefiunt, & accedente in superantiperistasi, quæ facit ut calor quasi concentretur adeoque magis intendatur, non difficulter inflammantur.

§. 2. Notum est quàm facilè concipiat ignem fulminans è metallò pulvis, & quàm mediocris calor sufficiat illi succendendo. Neque enim ignis admotione indiget, sed qualicunque calore Solis, fimi, animalis &c. Quod aliqui non sine vitæ dispendiò comperti sunt, qui secum illum gestantes suo ipsorum calore succenderunt. Notum verò Pyrium pulverem communiter ex sulphure halinitrò & carbonibus confici, quæ omnia quum satis copiosè ex terrâ eruantur, exinde colligi potest quàm facilè incendia subterranea contingant.

§. 3. In vulgus notum est ex nitrò, bitumine, sulphure, chalcantthò, calce vivâ & similibus tales arte misturas fieri, quas aspersio humidî vel exiguum sputum inflammet: Quidnã similes sub terrâ commistiones evenire possint, quas humor aqueus destillatus levi negotio accendat?

§. 4. Non verò meliùs incendia subterranea declarari possunt



possunt quam ex generatione fulminis. Quæ juxta Philosophos hoc fermè modò contingit. Calore partim cœlesti partim subterraneò resolutus è terrâ vapor exhalat, qui elevatus in mediam aeris regionem, ibique à frigore illius regionis contractus & addensatus magnas nubium moles contextit. Quod si contingit ut unâ cum vapore varia corporoscule igni gignendo inservientia, ut sunt sulphurea, nitrosa, Bituminosa chalcantina & similia eleventur, & ibi claudantur intra medium nubis, evenit, ut dum corpus nubis egredi moliuntur, ob varias ac multiplices resilitiones vehementer contorqueantur & circumvolvuntur. Ex qua agitatione sulphur sensim magis magisque calefit, & halinitrum, dum sulphurea effluvia prætervada calorem sentit, suâ diffatione calorem magis magisque intendit, donec tandem calore intensissimò redditò concipitur flamma, quæ incrustationem nubium, quâ debilior fuerit, perumpit, & perniciosissimè exiliens evadit fulmen: eâdem ratione incendia subterranea contingere probabile est, nimirum dum halitus intra cavernas terræ conclusus eo quo dictum est modò incalescit, concipitque flammam & in ipso inflammationis nisu claustrum effringit, & aeris libertatem nactus flammam dilatat, quousque combustibilis materia superfuerit. Quanam verò sit combustibilis hæc materia, sequitur ut exponamus.

CAPUT X.

De Materiâ, quæ potissimum est Sulphur & Bitumen.

§. 1. Alii ergò in lapidibus molaribus, alii alibi stentacem flammæ custodiam quærunt. Maximè verò probabilis est illorum sententia, qui sulphur & bitumen potissimum incendi-
orum causam materialem statuunt.

§. 2. Sulphur Græcè *θεῖον*, quia veteribus sacra res & divina judicabatur, & Plinio suffragante 1) etiam in religionibus locum habebat ad expiandas suffitu domos. Unde Philosophus 2) balnea sacra esse dicit, quia ex rebus facerrimis sulfure & fulmine fiunt. Nec olim nisi accensò sulphure vel è portu solvebant

(1) Plin. lib. 35.

c. 15.

(2) Arist. probl. Sect. 24. probl.

19.

bant vel nuptias celebrabant. Cur verò habitum sacrum fuerit in causâ potissimum est magna illa cum fulmine cognatio vel Plutarcho 3) teste, quum quocunque fulmen decidit, odorem sulphuream esse certum sit juxta Senecam. 4) Unde Persius 5) fulmen sulphur sacrum appellat. Est autem pinguedo terræ per temperatam concoctionem inspissata, quousque sit indurata. Estque duplex vel Fossile seu nativum Græcis ἀπυργν & in Islandiæ montibus aliisque locis ignivomis reperitur, vel factitium &c. 6)

3) Plutarch. lib. IV. Symp. quæst. 2.
4) Sen. qu. nat. lib. II. c. 31.
5) Pers. Sat. 2.

§. 3. Bitumen Græcis ἀσφαλτῶν, quod Asphaltidi lacui juxta Tacitum 7) copiosum supernatat, & cujus veluti colamen quoddam (cei Dioscorides loquitur 8) est naphtha, nihil est aliud juxta Libavium quam corpus minerale ex pingvedine radicali succisque subterraneis conflatum maximè naturæ igneæ particeps. 9)

6) Joh. du Boys de ung. sect. 2. c. 17.
7) Tac. V. hist. 8) Diosc. lib. I. c. 85.

§. 4. Rationes asserti nostri de incendiõrum materiã potissimum sunt hæ. Primò humana infirmitas nullam materiã novit vel concipiendis vel fovendis ignibus magis idoneam. Idcirco sulphur etiam ad pyrium pulverem adhibetur, nec eius in expugnationibus, incensionibus & subversionibus murorum exiguus usus est. Norant id Pelopennenses illorumque Dux Archidamus in Platæana obsidione. Fossas enim muris vicinas variæ materiæ fascibus complebant, injecto que igne sulphure & pice accendebant; Unde, si Thucydidi 10) credimus, tantum flammarum excitatum est, quantum nemo unquam ante tempus illud conspexit. Eadem de causâ adhibebantur ejusmodi materiæ in lucernis subterraneis, quum & Ægyptios constet ex bituminosis puteis canales ad illas lucernas derivasse, quæ postmodum aliunde de vecti liquoris suctu sunt nutritæ. Imò ad omnes ferè ignes artificiales sulphur & bitumen adhiberi videbis apud Portam. 11)

9) Libav. III. Sing. lib. I. c. 17.
10) Thuc. de bell. Pel. lib. III.

§. 5. Cogita saltem Naphtham, cujus tantam cum ignibus familiaritatem esse Strabo 12) & Plinius 13) retulerunt, ut in ipsam flammæ transiliant undecunque visam. Et addit Plinius: *Ita ferunt à Medea pellicem crematam* (intelligit Creusam Creontis filiam de qua Ovidius 14) *postquam ad aras accesserat coronâ ignis*

11) Joh. Bapt. Port. lib. XII. Dis. mag.
12) Strab. XVI.
13) Plin. lib. II. c. 105.
14) Ov. VII. Met. f. 7.

D 3



ignibus correpta. Fallor? an hæc est etiam sanguis ille Nefsi quò
delibutum Herculem in Oetâ conflagrâsse Poëtæ fingunt. De
15) Ab, lib, IX. f. 3 quo iterum Ovidius: 15)

*Thura dabat primis & verba precantia flammis
Vinaq; marmoreas paterâ fundebat in aras,
Incaluit vis illa mali, resolutaq; flammis
Herculeos abiit latè diffusa per artus.*

16) Plut. in vit. Alexand. Meminit Naphthæ etiam Plutarchus 16) Cujus vim ut barbari
demonstrarent Alexandro, angiportum qui ad Regis diversori-
um ducebat, paucis naphthæ guttis inungebant, & in extremo
stantes facem imbutis naphthâ particulis admovebant. Quò fa-
ctò omnia subito flamma corripuit, ut totus angiportus con-
tinuus ignis esse videretur. Easdem naphthæ vires postea & A-
lexandri puer in balneo expertus est, cujus corpus quum naph-
thâ inunxissent admoto igne magnam flammam Alexandro non
parum sollicito edidit. Quod nisi commodè multi adfuissent,
qui lavacri causâ multa vasa aquis plena tenebant, nullum
profectò remedium depascentes corpus ignes inhibere potu-
issent.

17) ep. Med. v. §. 6. Unde Langius 17) & Libavius 18) crassos illos li-
II. ep. 52. quores, quos ignis loco à proavis suis absconditi Judæorum sa-
18) Lib. sing. cerdotes è captivitate reduces reperiebant, & quibus unctæ vi-
part. 3, l. II. c. 5. ctimæ & ligna à Sole succendebantur, ut in Machabæorum li-
19) II. Mac. c. I. bris 19) est consignatum, naphtham fuisse conjiciebant. Et ad-
dit Langius, Platonem ignem succum appellâsse edoctum id
forsan ab Hebræis in Ægyptò. Nam & morem servandi perpetui
in templorum adytis ignis ab Ægyptiis ad Græcos & Romanos
& alias gentes emanasse, &c.

20) Virg. ecl. 8. §. 7. Quid ergò mirum si Maga Virgiliana 20) hac ipsa
laurus suas incenderit? Quid mirum si

„Admotis Athamantis aquis accendere lignum

„Narretur, minimos quum Luna recessit in orbes? 21)

21) Ovid, XV.
met.

Quid mirum si naphtha egregiè inserviat oblectamentis, si quis
noctu velit species scintillantium pluviarum & ignei fluminis
exhibere, vel totum conclave repentinis opplere flammis?

§. 8. Secunda ratio est, quia illæ materiæ affusâ aquâ
tantum

tantum abest ut extingvantur, ut potius irrentur. Imprimis autem competit hoc bitumini. Quanquam Livius 22) hoc etiam de sulphure affirmat. *Mairomas*, inquit, *Baccharum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, demissasq; in aquam faces, quia vivum sulphur cum calce in sit, integrâ efferre flammâ.*

§. 9. Eoque major est usus bituminum in expugnationibus & defensionibus murorum, castrorum & classium. Nam si bitumen & imprimis naphtha Syphonibus in habitacula castra naves, vela, vestes hostium spargatur, unâ deinde face tota castra vel tota classis comburi potest, quum illa incendia ab ipsis aquis fomentum accipiant. Eadem de causâ commodè illius ope pontes destruuntur. Sic si naphthâ macerentur filamenta & funiculi stuppei ignes currentes in momentô per humida loca deferri possunt. Unde ex oleo incendiario stuppâ sulphure & bitumine sagittas ardentes conficere docet Vegetius, 23) quæ, quum in hostiarum navium alveis infiguntur, inunctasque cerâ pice & resinâ tabulas corripunt, repente illa incendiant non facilè extingvenda. Talium tædarum meminit Lucanus: 24)

-- -- -- „pingvibus ignis
Affixus tadis & recto sulphure vivax
Spargitur: At faciles præbent alimenta carinæ
Nunc pice nunc liquida rapuere incendia cerâ,
Nec flammam sperant unde.

Et alibi: 25)

-- -- -- „piceo jubet unguine tinctas
Lampadas immitti junctis in vela carinis.
Nec piger ignis erat, per stuppea vincula perq;
Manantes cerâ tabulas, & tempore eodem
Transraq; nautarum & summi exarsere Ceruchi.

Sic & apud Silium 26)

Spargere flagrantes contra bellantiam onstra
Dardanius Victor tadas jubet, & facis atræ
Quos fera circum fert, compleri sulphure muros
Nec jussis mora. Collectis fumantia lucent.
Terga elephantorum flammis,

Ad

22) Liv. dec. 4. lib. 9.

23) Veget. de re mil. lib. VIII. c. 18.

24) Luc. lib. III

25) Luc. lib. X.

26) Sil. lib. IX.



Ad similes usus conficiebatur ignis Græcus, cujus conficiendi rationem vide apud Portam l. c.

§. 10. Igitur quod ipsum mare in Sicilia arsit, quod Chimæra aqua accenditur sc̄nō extingvitur, quod Hephæstiorum montium ignis pluviis alitur, quod Nymphæi crater augetur imbribus & similia omnia à bitumine proveniunt.

§. 11. Causa verò quod bitumen ardens ab aquis irritetur non extingvatur est hujusmodi: Bituminosa ejusmodi postquam conceperunt ignem, non solum in sumō ut ligna, sed tota penitus flammam admittunt & ignea evadunt. Hic accidit, ut licet superficies exterior aqua perfundatur, intima tamen pars & ipsa flagrans aquam non admittat, sed potius in se collecta intendatur aquamque contrariam dissipet & magis emicet.

27) Card. II. de Vide Cardanum, 27) Cæsalpinum 28) Sennertum 29) Libavi-
subt. um. 30) Non igitur est quod apud Senecam 31)

28) Cæsalp. de
metall. c. 31.

29) Senn. loc-
cit.

30) Lib. part. III
sing. lib. l. c. 10

31) Sen. Thyest.
Act. III.

32) Lev. Lemn.
de occult. nat.

mir. lib. l. c. 17.

*ferus Cyclops metuat parentem
Rape ferventis residens in Ætne
Ne superfusus violetur undis
Ignis Ætneis resonans caminis.*

§. 12. Tertia ratio est, quia illæ materiæ, postquam conflagrarunt, iterum ardent. Pertinent huc illi lapides, de quibus Lemnius: 32) *In eâ parte Gallia Belgica, quam Eburones Menapii & Sicambri occupant, λιθὸν ἰσχυρὸν h. e. carbones lapidei effodiuntur bituminis indurati naturâ, qui semel atq; iterum extincti postliminio ardent &c.*

§. Et denique quartò nusquam vel erumpunt ignes, vel alius quidam sensibilis se prodit calor, quin illic aut utrumque (nimirum & sulphur & bitumen) vigeat, aut alterutrum saltem dominetur, ut ex historiis patet.

CAPUT XI.

De causis excitantibus & instimulantibus
quæ sunt venti,

§. 1. Nec verò mediocriter ignes montium stimulantur à ventis, quorum non exiguus sub terrâ numerus diversatur.

§. 2. Nam primò Oceanus conglomeratas undas per
hydra-

hydragogos canales intra subterraneos recessus exonerat. Patet hoc imprimis ex Ætnâ. Nam Fazellus, & quotquot ad Ætnæ crateris labium prolapsi aures inhiatum defixerunt, inauditos aquarum strepitus audisse se memorant, cum quibus non Caspiæ non Nili catadupæ non alia aquarum ruentium præcipitia comparari possint. Nec sine ratione Kircherus 1) ex æstu Freti Siculi suspicatus est totum illud fretum penitus esse cavernosum, ac veluti cuniculis quibusdam perfossum, quibus per subterraneos occultosque meatus in oceanum & alia maria deducatur, multos quoque ejusmodi cuniculos in cavernosos quosdam deduci montes. Unde Bembus, *nusquam majores, inquit, fistule sunt, aut meatus ampliores, quàm in iis locis quæ vel mari vicina sunt vel alluuntur à mari, quod facillimè in terras penetrat, pergitq, in viscera quantum potest.* Quum igitur Oceanus arcanas subterrestris mundi ditiones clandestinâ machinatione perumpit, ventos simul & Spiritus impingit, & ut loquitur Epitoma Trogi 2) in imum fundum trahit.

1) Kirch. mund. mag. part. 4. c. 4.

2) Justin. lib. IV. c. 1.

§. 3. Præter hos ventos magna adhuc ventorum copia intra terram generatur ab ignibus subterraneis, qui non minùs ac illi langventes sæpe & semisopitas flammæ jugi afflatu instimulant, & ad ardua naturæ opera perficienda sollicitant.

CAPUT XII.

De causis conservantibus, inter quas potissima est mare.

§. 1. Nondum tamen omnia difficultatum sublata sunt momenta. Fac enim terram innumeris fistularum cavernarumque semitis instructam, fac sulphureis venis internotatam, fac hypogæis ignibus prægnantem, fac hypogæos ignes continuo sulphurea bituminosa nitrosa naphthica & similia elicere effluvia, fac illa effluvia partim ob motum & rarefactionem, partim ob collisionem partim ob *ἀλλοπεριστάσιν* intra montium gurgustia inflammari, fac illam flammam sulphur bitumen & similem combustibilis materiæ fomitem corripere; Cur verò Ætnæ cur aliorum montium incendia tot seculis durant? Quum enim Vulcanus sit gulo voracissimus, brevissimò tempore o-

E

mnem

omnem materiam depopulans portento simile est, tantum illi per tot secula suppetere fomentum, ad tantum focum perpetuo excitandum ad tantam culinam calefaciendam.

1) XV. met.

§. 2. Equidem Pythagoras apud Ovidium 1) Ætnæos ignes aliquando cessaturos promittit:

*Nec quæ sulfureis ardet fornacibus Ætna
Ignea semper erit nec enim fuit ignea semper.
Nam sive est animal tellus & vivit habetq;
Spiramenta locis flammam exhalantia multis,
Spirandi mutare vias, quotiesq; movetur
Has si ire potest illas aperire cavernas:
Sive leves imis venti cohibentur in antris
Saxaq; cum Saxis & habentem semina flammæ
Materiam jactant, ea concipit ictibus ignem,
& Antra relinquuntur sedatis frigida ventis:
Sive bitumineæ rapiunt incendia vires
Luteaq; exiguis ardescunt sulphura flammis:
Nempe ut terra cibos alimentaq; pingvia flammæ
Non dabit absumentis per longum viribus ævum,
Naturæq; suum nutrimen deerit edaci.
Non feret illa famem desertaq; deseret ignes.*

Nec raro legimus ejus ignes extinctos, qui semper tamen suas receperunt vires; Quod igitur est illud promptuarium quod totos mundos sulphureos & bituminosos flammis per tot secula ardentibus subministrat?

§. 3. Præterdunt hic plerique perpetuam sulphuris regenerationem. Certum enim est, sulphur, quod juxta Baccium 2) in terræ cavernis velut in caminis fuligo subeunte fumo concrefcit facillimè regenerari. Multum igitur quidem hic facit illa regeneratio, totum tamen non absolvit.

§. 4. Dic enim mihi ubi sulphur regeneretur? An in eò ipsò loco ubi ignis ardet, an in aliò? Non prius. Quis enim credat in unò locò & generari sulphur & corrumpi? Si posterius, ignis qui semper sequitur suum pabulum statim locum mutabit, nec in Ætnâ diu permanebit. Respondet Fallopius 3) duobus

3) c. 5. de thermis.

duobus modis ali flammam: uno, quando flamma sequitur materiam ut in ligno. Altero, quum materia sequitur flammam ut in lucernis. Dicit ergo sulphur & bitumen ab ignibus eliquata sequi flammam. Quod si concedam saltem tamen requiritur certa aliqua distantia, intra cuius terminos sulphur & bitumen eliquari possint. Si ergo illa materia intra illos terminos ab ignibus consumpta est, quid tunc subministrabit alimentum? Quid ergo dicemus?

§. 5. Ac ut tetigit Justinus: *nec enim, inquit, in tam angustis terminis aliter durare tot seculis incendia potuissent, nisi humoris nutrimentis alerentur.* Nimirum oceanus perpetuo aestu agitato coarctatas aquas per siphones hydraulicos in terrarum cavernas excernit. Illae igitur aquae perpetuis commerciis ingentem pinguedinis, & unctuositatis congeriem adducunt intra terras. Quantum vero pinguedinis & unctuositatis contineat mare, facile iudicabit, qui paulo altius secum expenderit, quot balanae quot orcae quot Delphines & alii similes ingeniosi piscium venatores in oceanum stabulentur, a quibus o Di! quantus pinguedinis proventus! Praeterea & illae aquae ex terrarum mineris quas perpetua alluvione deterunt sulphur naphtham bitumen & similem combustibilis materiae fomitem elicitem extractamque subministrant. Has igitur aquas pro suo ne deficiat nutrimento sympathico quodam appetitu magnetico (ut loquitur Kircherus) attrahit ignis, quae quum perpetuae affluant perpetuum etiam fit incendium.

§. 6. Unde & Cardanus sulphur & bitumen a marinis sordibus fomentum accipere affirmat. Et Bembus inde patere dicit quomodo alatur incendium quum omnia calore & humore concipiantur, jam vero & semper ardeat mons & semper a mari perlustretur. Unde forsitan & Poeta Vulcanum a Thetide acceptum, & Phaethontem i. e. incendium a Clymene i. e. humore nutritum dicunt. Ex ea causa fit ut montes quo mari viciniore sunt eo constantius & vehementius ardeant.

§. 7. Ex quibus manifestum est, cur Aetnae praeter reliquis incendium duret. Facit id nimirum ingenium & dispositio loci. Quae in quo consistat, non obscure innuit Claudianus: l. c.

-- -- -- Trinacria quondam
 Italia pars una fuit, sed pontus & aestus
 Mutavere fidem, rupit confinia Nereus
 Victor & abscissos interluit aequore montes.
 Nunc illam focia raptam tellurè trifurcam
 Opponit naturam mari, caput inde Pachyni
 Respuit fœnas prætentis rupibus iras.
 Hinc latrat Getula Thetis Lilybaeâq; pulsat
 Brachia consurgens, hinc indignata tene: i
 Concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum.

4) Justin. lib.
 IV, c. 4.

Et Justinus de Sicilia loquens ait: Nusquam aliàs tam tonans fre-
 tum nec solùm citatò impetu verùm etiam savò, nec experientibus modò
 terribile, verùm etiam procul videntibus. Undarum porrò in se con-
 currentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes in imum subsi-
 dere, alias quasi victrices in sublimè ferri videas, nunc fremitum ferven-
 ventis aestus, nunc gemitam voraginemq; desidentis audias. Hinc fabulæ
 Scyllam & Charybdin pepererunt, hinc latratus auditos, hinc monstris
 credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus pelagi desidentis
 exterriti latrare putant undas, quas sobrentis aestus vorago collidit. Hac
 igitur freti vehementia quum & meatus ampliores reddantur,
 & plures spiritus impingantur, & major nutrimenti copia trans-
 vehatur, hinc fit ut tot seculis constans Ætnai incendii contu-
 macia conservetur.

CAPIT. XIII.

De Formâ Fine & Effectibus.

§. 1. Forma incendiorum consistit in immensò prorump-
 pentium ignium excessu, qui pro dispositione loci & copia ma-
 teriæ diversus est.

§. 2. Finis quæ cum effectibus coïncidit est potissimum
 octuplex: Primus est Ornatus mundi. His certè incendiis egre-
 giè incenditur animus noster ad contemplandam pulchritudi-
 nem Operum Tanti Creatoris. Visuntur, verba sunt Richardi
 Dinothi, 1) nonnulli montes ignem prodigiosè eructantes, quorū nullus
 alius usus deprehenditur, nisi quod spectantium oculos in summâ admi-
 ratione detineant, & in contemplationem mirabilium Dei operum ad-
 ducant.

1) Loc. comm.
 lib. I.

ducant. Ego verò puto præter illum usum multos adhuc esse alios ut è sequentibus patebit.

§. 3. Secundus Navigantium commoditas. Nam & ideò Deus altissimos quosdam montes aut nivibus operuit, aut flammis ornavit, ut longissimè conspecti velut phari seu Cynosuræ quædam viam navigantibus veluti digitò monstrarent.

§. 4. Tertius, Incolarum quorundam negotiatio. Münsterus sanè 2) fodinas sulphuris unicum fermè Islandorum vestigal & mercimonium esse testatur. Periculum ergò esset ne illi populi necessariis vitæ subsidiis destituerentur, nisi illos naturæ per incendia subterranea tantò sulphuris proventu ditavisset, ut inde mercatores totas naves onustas avehant.

§. 5. Quartus septentrionalium locorum calefactio. Sicut enim Deus Ter O. M. illas regiones, quas situs ad intolerabiles æstus damnavisse videbatur, modò imbrium modò fluminum diluviis ita refrigeravit, ut multis in locis Zonæ torridæ subjectis insensibile sit æstatis & hyemis discrimen: Sic ne regiones polis vicinæ propter summum frigus nullos paterentur incolas, Eadem Divinæ Sapientiæ bonitas extremam frigoris acrimoniam focus quibusdam subterraneis temperavit, & calorum Solarium defectum Vulcaniis montibus compensavit.

§. 6. Quintus fertilitas. Sicilia sanè fertilitas, quam veteres innumeris ornârunt elogiis, tanta fuit, ut ipsam pro gratissimò Cereris domiciliò haberent. Et Apulejana Psyche nihil majus invenire poterat; per quod supplicaret Cererî quam Siculæ glebæ sulcamina. Sic Campaniam propter fertilitatem Liberi & Cereris certamen dicebant, 3) Meritò igitur miramur cum Claudianò: 4)

*Quis sterilem non credat humum & fumantia vernant
Pasqua, luxuriat gramine coëta silex.
Et quum sic rigida cantes fervore liqueant
Contemptis audax ignibus herba viret.*

Et Statio: 5)

*„ crede ne virum ventura propago,
Quum segetes iterum, quum jam hæc arbuscula virebunt
Infra urbes populosq; premi?*

E 3

Ufque

3) Flor. lib. c. 16

4) Claud. de font. Apon.

5) Sylv. lib. IV.

c. 4.

Usque adeo cineres montis flammis per agros proximos di-
persi item saxa glebaeque pinguisima ignibus excocta & plu-
viis dissoluta mirifica stercoreatione laetificant & fecundant o-
mnia montesque imprimis reddunt *Καμπήλας*. Vomit illa for-

6) Cassiod. Va-
riar. IV. ep. 50. nax, inquit Cassiodorus, 6) perpetuo puniceas sed fertiles arenas, quae
licet diuturna fuerint adustione siccatae in varios fetus suscepta ger-
mina mox producant, & magna celeritate reparant, quae paulo ante va-

7) Strab. lib. V.

8) Faz. dec. I.

lib. II. c. 4.

staverant. Videatur Strabo 7) & Fazellus. 8)

9) Barcl. I. Arg

10) Claud. II.
de R. P.

11) Luc. lib. 1.

§. 7. Sextus Divinae Vindictae praenunciatio. Quemad-
modum publici illi ignes in camporum tumulis collucescentes
non accendebantur nisi jussu regio, quum rebus gerendis cele-
ritatem salus publica imponebat, teste Barclajō: 9) Sic saepe
Divino jussu ignes in montibus apparent, ut illorum aspectu
admoniti celeriter resipiscam, & omnia mala avertam. Quod
etiam Ethnici agnoscebant. Proserpinae certe raptum praen-
unciabat insolitus Aetnae mugitus apud Claudianum 10) Inter
portenta quae bellum civile praebant, annumerat illud Lu-
canus: 11)

*Ora ferox Sicula laxavit Mulciber Aetnae
Nec tulit in caelum flammam, sed verice pronō
Ignis in Hesperium cecidit laevis.*

12) Georg. I.

Sic inter prodigia Caesaris mortem apud Virgilium 12) praecedentia stat & illud:

*„quoties Cyclosum effervere in agris
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa.*

§. 8. Septimus Divinae Vindictae Executio. Illam saepe
expertus vicini tractus. Quapropter & Catanensibus S. P.
Q. R. decem annorum vectigalia remittebat. Sic & apud Cas-
siodorum Campani supplices lacrimas profundeabant, ut suble-
varentur onere tributariae functionis.

§. 9. Octavus Inferni praelusio. Enimvero par est existima-
re, ut non minus verè quam piè Conimbricenses, 13) naturae
principem & autorem Deum ideo naturae obsequentis ministerio hac
tam seva horridaque incendia à terra sine evocare, ut nos eorum aspectu
permoti attentius meditemur atrocitatem ejus ignis, quo scelerati cru-
ciantur

13) Conimbric.
de meteor.
tract. XII. c. ult

ciantur homines, eternis apud inferos suppliciis mancipari, & ut assiduâ ejus rei contemplatione malarum cupiditatum accedente Divinâ ope incendia restinguamus. Sic Pion Presbyter ignivomos montes ad Tartareas pœnas indicandas creatos in horâ martyrii sui docuit. Hoc est quod passim Sancti Patres inculcant, Augustinus 13) Minutius Felix 14) Tertullianus 15) & alii.

§. 10. Restabat ut mirabilia incendiorum accidentia & Adjuncta subjungerem: sed verendum erat, ne vel in nimiam molem excresceret hic discursus, vel tantum temporis nos destitueret, quantum materiæ dignitas requirere videbatur. Igitur illa peculiari disputationi reservanda duxi suô tempore habendæ & huic disputationi finem nunc imponendum in qua si quid veritati consonum rectumque repereris, id Deo & Præceptoribus meis ascribe, si quid erroneum & minus accuratum, id & ingenii tenuitati & nimix festinationi ignosce.

13) de Civ. Dei
lib. XXI. c.

14) In Octav.

15) In Apolog.
c. 24.

COROLLARIA.

I. Græci non carent Ablativô.

II. Denarius Prædicamentorum numerus non omni caret fundamentô.

III. Ironia non est Tropus Orationis.

IV. Tropis, Figuris, Epithetis utendum velut *ἰδέσθαι* non tanquam *εἰδέσθαι*. Nec sine causâ reprehendit illos Barclajus Euphorm. part I quibus nullum in verbis judicium, nullum in oratione acumen, sed æternæ figuræ in usu sunt altis & turgidis dictionibus nixæ. *Nunquam illis*, inquit *simplex oratio & verba in suum sensum eleganter fluentia, velut errarent in montibus ab elatâ Metaphorâ in aliam saltitant. Ubiq; fulminibus, tempestatibus, fluctibus inveniunt locum. Proas diceres, quibus planum vestigium natura interdixit: Ita nunquam suis & equalibus verbis loquentes ad diversa dictionum prodigia volitant, quo illos institutio & inopis ingenii sterilitas cogit.*

V. Nimis affectant pietatis Zelum, qui usuram nominum Gentilium in carmine Christiano planè non tolerant.

VI. Potentia recipiendi formam campanæ in ære, lateris in argillâ nidi in lutô, cellulæ sexangulæ in cerâ & similes non sunt propriè obedientiales.

VII. Di-

VII. Diversa temporum anni constitutio in locis diversis principaliter quidem provenit à Sole. Multum tamen hic facit substantia & qualitas soli aeris vel crassities vel tenuitas, ejusdemque vel motus & ventilatio vel quies, ut & montes, maria, stagna, valles, nives, pluvia, pruina, & ut uno verbo dicam varia elementorum in hoc vel illo loco dispositio, secundum quam recipere apta sunt vim & influxum causarum cœlestium eumque vel adjuvare & intendere coagendò aut patiendò, vel adversando & oppugnandò eludere & impedire.

VIII. Dari pisciculum naves remorantem commentum est.

IX. Incendia montium non timere magis temerarii quam fortis est.

X. Vir quidam Clarissimus ex illò Silij lib. XII.

*Monstrantur Vesuvajuga atq; in vertice summo
Depasti flammis scopuli &c.*

deducere conatur Vesuvium olim Summum fuisse dictum, adeoque perperam scribi Monte di Somma. Quasi verò Silius non usurpasset hoc epitheton etiam de aliis montibus e.g. de Aetna lib. XIV.

*Summo cana jugo cohibet mirabile dictu
Vicinam flammis glaciem.*

XI. Aetnaum pro magnò reperies in libris autoritatis non diluta. Uude & Cantharus Aetnaeus magnus intelligitur apud Aristophanem in comœdia cui titulus εἰχών, de montis Aetnae magnitudine, vel quod Aetnai equi habeantur praeceleres & in currendi certaminibus inclyti. Ex qua ratione Virgilium quoque fratres appellasse Aetnaeos simile veri est, L. Cœl. Rhodig. A. L. lib. XI. c. 57. Intendit forsàn digitum in illud Virgilia III, Aen.

Aetnaeos fratres cœlo capita alta ferentes.

Ubi tamen Cyclopes potiùs à locò habitationis quàm à magnitudine aetnaeos appellare Virgilius videtur.

XII. Solinum Pliniò fuisse posteriorem colligitur vel ex illò Solini: *Quod in Campania Vesuvius, in Sicilia Aetna, hoc in Lycia Chimera est &c. c. 52.*

XIII. Montes interdum hominum vel imprudentià vel petulantia accensos testantur annales. Vide Plin. hist. nat. lib. II. c. 106. & 107. Cluver. It. Ant. lib. I. c. 28. Schmid. ann. Zwick. Rivin. Vesuv.

XIV. Selurus ignotus homo, qui se Aetna filium mentitus erat, quum loca circa Aetnam cum facinorosis & perditissimis praedaretur, à Romanis captus in ludis gladiatoris ictibus bestiarum occisus fuit. Alex. ab Alex. gen. lib. II. c. 11. Digni quippe tali eventu multari, qui nescio quo praetextu imperium sibi sumunt, & autoritatem sceleribus acquirunt.

XV. Pulchrè Seneca ep. 80. *an Aetna possit sublabi & in se ruere, an hoc excelsum cacumen & conspicuum per vasti maris spatia detrahat assidua vis ignium, nescio virtutem non flamma non ruina inferius abducat.*

S. D. G.

Oa 1258.8

vd 18

ULB Halle 3
002 702 584




TA-FL

Von

n.c.





B.I.G.

Farbkarte #13

3a
629

AM IN.

IIS

CUNDA

rior

m exhibens

Philosophicæ

o Loco

endô

bmittit

g.
LXIII.

TTIGIUS

lect.

TTIGAU,

